

Est autem caput ecclesiae efficacia perfectione, merito et ordine. Efficacia quidem, quia haec persona proprie missa est, vt immediate per eam colligatur ecclesia. Haec persona ab initio profert euangelium, adest ecclesiae, seruat ministerium et immediate protegit electos contra omnes furores diaboli.

5 Praeterea haec persona immediate efficax est in credentibus, docet, sustentat et viuificat sua membra, accendit fidem et consolationem. De hac loquitur cum inquit: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra“;⁵⁸ potestas scilicet colligendi, sanctificandi, potenter protegendi et gloriose liberandi ecclesiam et iudicandi vniuersum genus humanum. Et Paulus inquit: „Ipse est

10 caput ecclesiae omnia in omnibus perficiens“⁵⁹ et de defensione, quae propria est regni aeterni, testatur Christus: „Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.“⁶⁰ Etsi autem haec efficacia est capitatis secundum diuinam naturam, tamen beneficium est totius personae sicut reparatio generis humani opus est totius personae qualibet natura agente et conferente, quod suum est, et multa

15 fiunt ministerio natura assumtae, ex quibus vna fit actio, quae *θεανδρική* vocatur, vt in homine cor fons vitae transfundit vitam in omnia membra corporis, eaque spiritu ex se emisso, sibi copulat, vt omnia viuant vita communi: Ita *λόγος ἀπαύγασμα* aeterni Patris⁶¹ hauriens vitam ab aeterno Patre, viuificat et suam massam in virgine assumptam et ex eadem massa sua similem

20 Spiritum emittit in credentes fide sibi insertos,⁶² vt in illis accendatur similis lux iusticia et vita conformis Deo. Nec ideo confunditur distinctio inter creatorem et creaturam. Nec fit confusio naturarum aut proprietatum naturae vtriusque commixtio.⁶³ Nec discrimen tollitur inter statum incoationis et consummationis. Perfectione Christus est caput ecclesiae, quia est natura Deus

25 et quia natura humana assumpta superat sapientia, potentia et iusticia omnes creaturas. Merito, quia Christus Deus et homo est *λύτρον* generis humani⁶⁴ et perfectissima oboedientia sua generi humano redempto a peccato, morte et ira Dei [C 4r:] et liberato a potestate diaboli restituit iusticiam et vitam aeternam. Ordine denique, quia ista persona primo missa est ad ecclesiam et est

⁵⁸ Mt 28,18.

⁵⁹ Vgl. Eph 1,22f.

⁶⁰ Vgl. Joh 10,28.

⁶¹ Vgl. Hebr 1,3.

⁶² Vgl. zum Bild des Einpflanzen Joh 15,5.

⁶³ Vgl. hierzu die Bestimmungen des chalkedonensischen Glaubensbekenntnisses von 451: *ἓνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν υἱὸν κυρίου μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαίρετως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνηρημένης διὰ τὴν ἔνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ιδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης*, „ein und derselbe ist Christus, der einziggeborene Sohn und Herr, der in zwei Naturen unvermischt, unveränderlich, ungetrennt und unteilbar erkannt wird, wobei nirgends wegen der Einung der Unterschied der Naturen aufgehoben ist, vielmehr die Eigentümlichkeit jeder der beiden Naturen gewahrt bleibt und sich in einer Person und einer Hypostase vereinigt.“ (DH 301–302).

⁶⁴ Vgl. Mk 10,45.